



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

421. An superior potens non confirmare, etiam electionem legitimè factam de persona aliàs habili, dum negat confirmationem, teneatur edicere & probare causam à se negatæ confirmationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

à duritie, & se constituat in debita æquitate, unde talis actus non nisi dictam æquitatem habeat pro objecto. Quam opinionem Pasquilig. Donat. ait, posse esse veram de jure naturæ, & in foro poli, scilicet in foro fori, seu de jure canonico, in quo, quod fit, & non quod intenditur, examinatur, ac remittitur ad Suar. tom. 1. de relig. l. 4. c. 50. n. 59. Peyr. tom. 1. de subd. q. 1. c. 31. §. 11. Verum de hoc statues accuratius & ex fundamento, ubi legeris, quæ dicta sunt à nobis part. 3. ubi de resignatione simoniaca.

Quæstio 421. An Superior potens non confirmare, etiam electionem legitime factam, de persona aliis habili, urgente ad id bono communi, dum negat confirmationem, teneatur edicere & probare causam negatam à se confirmationis?

Respondeo primò: quidquid sit de eo, num causa rationabilis intercedere debeat, quæ juridicè probari possit, si fuerit necesse, ut tenent Donat. loc. cit. q. 9. n. 7. cum Castel. de elect. c. 14. n. 56. Lavor. de elect. tit. 4. c. 25. Item Pass. de elect. c. 33. n. 148. ubi expressè, quòd ratio hæc seu causa, ob quam cassata est electio, debeat esse visibilis, & talis, quæ deduci possit ad forum publicum, etiam judiciale, si opus sit, inde probatur, quòd in confirmatione & cassatione electionum agitur de maximo interesse, non solum eligentium & electorum, sed & Religionum & Ecclesiæ; si autem confirmatores, cum extrajudicialiter procedunt, non teneantur reddere rationem, quare confirmarint, vel cassarint electionem, esset res in Ecclesia summi præjudicii, & explanata via latissima passionibus & privatis affectibus istiusmodi Superiorum, qui homines sunt, ad fovendas impune factiones, & promovendos suos, sive dignos, sive indignos, & deprimentos dignissimos cum summo præjudicio Religionum & Ecclesiæ, si electionum confirmatio & cassatio ita remissa illorum Superiorum arbitrio & conscientia, ut nulli teneantur reddere rationem facti sui; sed sufficeret illos dicere, se ex causa rationabili cassasse vel confirmasse, & super hoc nullius moveri posset quæstio. Quidquid enim sit, ut ait idem Pass. n. 149. de quæstione illa communi, an dum aliquid commissum est conscientia alicujus, ejus dicto sit standum, & non possit contra illum dari querela (de quo videri possit Sanch. de matrim. l. 3. d. 10. n. 12.) ubi tamen agitur de re præjudiciali tertio & bono communi, idèò que de re summè egente discretione Superiorum, seu dum sumus in materia justitiæ & juris naturalis, ac divini præcipientis, ut nulli inferatur injustum damnum, & nemo damnetur sine culpa, dicitur, quòd & contra factum ab eo, qui agit secundum arbitrium boni viri, seu secundum conscientiam, potest haberi recursus, & quòd non est necessitas credendi, quòd illud sit factum ex conscientia recta & rationabili arbitrio, & quòd Superioris officium est emendare, quòd male gestum ab inferiore. Unde concludit Pass. certissimum est, quòd Provinciales (idem est de aliis confirmatoribus regularibus) solum ex causa rationabili, deducibili, si opus sit, ad forum externum, cassare possunt electiones.

2. Loquendo tamen ordinariè seu regulariter non tenetur confirmator juridicè probare justam causam, quam præterdit, non confirmandi; sed sufficit, eam probatam habere extrajudicialiter. Donat. loc. cit. n. 8. & q. 14. n. 11. Idèque præcipuè in con-

P. Leuren. Feri Bevesf. Tom. II.

firmatione electionum regularium; cum, ut Gl. in clem. Exivi. de verbor. signif. §. demum, apud Donat. cit. q. 9. n. 9. in confirmatione Provincialium non procedatur judicialiter.

3. Sed neque tenetur in decreto cassationis electionis exprimere causam, quæ motus fuit ad cassandam electionem; quia Judex regulariter, ut notatur in c. sicut. de rejudicari. & per Bald. in l. si quis, ff. de peren. hered. non tenetur in sententia exprimere causam, adeòq; sufficit, confirmatorè dicere, se ex causis bene visis cassare electionem, Pass. n. 149.

4. Neque etiam tenetur hanc justam causam, quam præterdit, ei, cui denegat confirmationem, edicere, sed sufficit, ut eam ostendat Superiori suo, si necesse fuerit, Pass. cit. n. 149. Donat. cit. q. 14. n. 11. verum loquatur ii de electione, per quam, etsi legitima sit, ut est in Ordine Prædicatorum, non acquiritur electo jus ad Prælaturam, & ubi non fuit appellatum à non confirmatione.

Quæstio 422. An, & qualiter confirmatio sit actus jurisdictionis & judicialis?

Resp. ad primum, esse actum jurisdictionis, sed quòd potestas confirmandi sit potestas jurisdictionis. Lott. l. 2. q. 18. n. 28. citans Butrio. in c. 1. n. 9. de translat. Prælator. Seraph. decis. 637. n. 1. Pass. cit. c. 33. n. 139. ubi: evidens est, non convenire alicui, ut privata personæ, quod ei convenit ratione publici officii & administrationis publicæ jurisdictionis; at verò potestas confirmandi est potestas publica, & non nisi ratione publici officii habet, ut sit Judex, ad quem pertineat vel confirmare, vel cassare electiones: unde & confirmatio subjectionem in persona electi respectu confirmatoris supponit; cum fieri debeat per Superiorem. Lott. loc. cit. num. 27. citans Host. in sum. de elect. n. 27.

2. Respondeo ad secundum: tunc duntaxat confirmationem dici actum, seu confirmationem judicalem, quando fuit in formali judicio obrenta. Lott. l. 3. q. 17. n. 313.

PARAGRAPHVS II. De virtute confirmationis, deque eo, quid possit, vel non possit electus ante & post confirmationem.

Quæstio 423. Quæ sit virtus confirmationis in ordine ad supplendos & sanandos defectus commissos in electione?

Respondeo primò: electio ipso jure nulla ob defectum juris naturæ vel divini (intellige etiam positivi) nullà potestate potest confirmari validè. Siquidem Princeps supplere nequit & sanare defectus, in quibus dispensare nequit; tales autem defectus naturales, seu juris naturæ aut divini sunt absolutè indispensabiles respectu cujuscunque potestatis humanæ. Pass. de elect. c. 33. n. 167. in fine, citans Lavor. de elect. c. 25. n. 72. Laym. in c. sicut grave. n. 3. (exemplificans hoc in contractu usurario, qui ex nullius Principis confirmatione, etsi edicatur facta ex certa scientia, potest validari, ut Imol. in cit. c. sicut grave. in fine. Abb. n. 5.) Donat. tom. 2. p. 1. tit. 7. q. 13. n. 2. ubi etiam ponit pro exem-